

tutione autem Justiniani nec usus nec usufructus ita perit, *l. pen. C. de usufr.* ut jam hac in parte nulla amplius sit differentia: quod vix unus aut alter, quod sciam, admonuit.

1. *Quasi proprium aliquod jus* Hoc est, species quaedam servitutis personalis quae proprie neque usus est neque usufructus: licet olim parum distaret ab usu, *d. l. 10.* Hodie post constitutionem Justiniani *l. 1. §. C. de usufr.* ad usufructum prope accedit. Sunt tamen qui negant habitationem esse speciem servitutis personalis & omnino servitutem esse; quoniam duae tantum personarum servitutis memorantur à Marciano *l. 1. de servo.* Sed ille vel exempli causa duas istas dumtaxat retulit, vel sub usu etiam habitationem comprehendit, quia jure veteri habitatio effectu idem erat quod usus, auctore Ulpiano, *d. l. 10.* Quod autem ajunt, d. servitute tam personali quam reali proditiam esse agentis actionem in rem confessoriam, *§. 2. Inst. infr. de act.* eum autem cui habitatio constituta sit actionem tantum personalem habere vel ex testamento vel ex stipulatu vel commodati aut praescriptis verbis, eo quod habitatio non sit jus aliquod in re, vel ut illi loquuntur, non in dominio sed in obligatione consistat: id quoque perperam dici existimo. Nam esse aliquod jus in rem vel ex hoc ipso loco apparet, & argumento est quod conjunctum cum usu & usufructu de hoc jure & hic & in π . & Cod. tractetur. Nullum autem certius argumentum est habitationem servitutem & personae esse, quam servitutis definitio, tum generalis tum specialis personarum, est enim jus in re aliena alteri constitutum quo dominus aliquid pati cogitur in suo, & jus constitutum personae. Nec obstat quod habitatio in factio potius quam in jure consistere dicitur, *l. pen. de cap. min.* nam idem fore & de usufructu praedicatur, *l. un. quand. dies us. leg.* Dicuntur enim ista per extenuationem, non quod sint nuda facta: estque similis habitatio usufructui in dies aut menses singulos legato, *d. l. pen.* Si igitur is cui in dies aut annos singulos usufructus legatus est cum confessoria vindicare non prohibetur: cur non & confessoria pro habitatione competat ei cui ea legata est? Nec verum est quod Hotomannus scribit, usum & usufructum servo aut filiofamilias legatum domino aut patri adquiri, habitationem non adquiri; idque liquet vel ex ipsa quam citat *l. 9. quand. dies leg. cod. junct. l. 2. §. 3. cod.* Agnosco autem lubens sensus mei hebetudinem qui videre non possum

quomodo id quod de actione commodati aut praescriptis verbis ei cui habitatio constituta est danda profertur probari possit ex *l. 1. in fin. p. commod. junct. l. 17. in pr. de praescr. verb.* Illud quidem video, tractari illic de actione commodati aut praescriptis verbis danda domino aedum qui habitationem commodavit sive gratis alicui concessit. Sed quid hoc ad rem?

2. *Quamquam habitationem habitibus & etiam aliis locare* Hoc est, quamvis in hoc habitatio ex nostra constitutione usufructum imitemur, quod eam alteri locari permisimus, *l. 13. C. de usufr.* Poterit ergo & vendi & gratis alteri concedi jure ipso apud eum cui ab initio constituta est manente, secundum ea quae diximus *§. 1. sup. cod.* nihil enim interest & puerile nimis quod quidam ajunt, ideo habitationem vendi aut donari non posse quia est jus personale; nam eadem ratione nec usufructus vendi aut donari potest, & si nihil aliud obstatet usus quoque locari aut vendi non prohiberetur; sed in usu spectatur conditio personae usuarii & indigentia pro modo familiae ejus; alius autem alio numerosiore familiae habet & pluribus indiget, nec una omnium conditio, ut recte D. Connan. *4. comm. 3.* Putat Hotomannus etiam jure veteri habitationem commodari potuisse licet usus non poterit, per *d. l. 1. commod. §. d. l. 17. de praescr. verb.* sed fallitur *scilicet in ista (falsa expositione)* non enim de habitatione jam alicui constituta & ab eo cui constituta est alteri commodata illic agitur, sed de commodata aut gratis alicui concessa demum à domino aedum: quomodo locos istos etiam accepit D. Bachovius.

TEXTUS.

Transitio.

6. *Hac de servitutibus & usufructu & usu & habitatione dixisse sufficiat.* De hereditatibus autem & obligationibus suis loci proponemus. Expasimus summam quibus modis jure gentium res acquiruntur: modo videmus quibus modis legitime & civili jure acquiruntur.

NOTA.

Legitima & civili jure Appellatione juris legitimi venit jus civile merum quatenus constitutione & origine à jure naturali & gentium differt. Antiquitatis studiosi consulant

Ba-

DE USUCAPION. ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT. 279
Budzum in Pand. ad *l. 2. §. & cum placuisse*
24. de orig. jur.

COMMENTARIUS.

Duplex transitio & utraque perfecta. In epilogo prioris respicitur ad *tit. de reb. corp. & incorp.* hujus libri secundum: ubi cum non tantum servitutis praedictorum, usus & usufructus inter res corporales numerentur verum etiam hereditas & obligationes; ac de servitutibus usufructu & usu haecenus tractatum sit: videri poterat nunc procius de hereditatibus & obligationibus dicendum esse. Sed in propositione seu membro sequenti harum rerum traditionem in alium locum rejicit: tractationem de hereditate, quia adhuc agendum de modis quibus res acquiruntur singula, suscepiationem autem hereditatis adquirentur bonorum universitas: tractationem de obligationibus, quia obligatio non est jus in rem, de cujusmodi jure adquirendo nunc quiritur, sed ad rem dumtaxat, pariens creditori actionem in personam non vindicationem rei. In posterioris epilogo respicit ad *§. 1. Inst. sup. tit. de rer. div.* quo loco recipitur, se post expositos modos adquirendi jure gentium dictum esse de iis modis quibus dominium nascitur jure civili: quod est

TITULUS VI.

DE USUCAPIONIBUS ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIONIBUS.

Dig. lib. 41. tit. 3. Cod. lib. 7. tit. 31. & 33. Lib. 2. tit. 11. For. legg. Et tit. 29. Part. 3.

1. *Non satis considerate à D. Cujacio & aliis praescriptionibus hic reponi possessionibus.*
2. *Quibus in rebus olim usucapio & longi temporis praescriptio differant.*
3. *Falli qui putant usucapionem tantum esse rerum mobilium.*
4. *Quae quae, serie hoc titulo tractentur.*

Inter acquisitiones juris civili vel prima & praecipua est usucapio. Nam etsi ea Graecis quoque non incognita fuit, eamque etiam Plato *lib. 12. de legib.* in suam inexit Rempub. tamen civili tantum ratione non etiam pura aliqua naturae. In nescitur, ab eaque longius etiam quam ceterae acquisitionis civiles recedit. Utrum autem quid jure civili adscriben-

ti *l. 1. §. 2. (quod deinceps dicendum)* Modi adquirendi jure civili vel singulares sunt vel universales. Singulares, quibus acquiruntur res singulae: universales, quibus una acquisitione namquam per aversionem acquiruntur bona alicujus universa: de quo genere acquisitionis agere incipit *infra §. ult. Inst. tit. per quas pers. cuiq. adq. Modi* adquirendi jure civili res singulas duo tantum ab Imperatore exponuntur, usucapio *tit. seq. & donatio tit. 7. huj. lib.* Cur de legatis & fideicommissis quae huc aliquo pertinent nunc non simul tractare voluerit, dicitur *d. §. ult.* Pertinent item huc & alii modi: veluti cum possessori attribuitur dominium rei quam dominus vi eripuit aut invasit, *§. 1. Inst. infr. de vi bon. rapt. l. 7. C. unde vi.* cum uno ex duobus qui à Principe manus accepit moriente absque herede pars deficientis consorti accrescit, *l. An. C. si liberal. Imp. soc. sine hered. decess.* Item cum pupillo & Ecclesiae adquiruntur res ex pecunia sua extrae abque illa traditione, *l. ult. C. de sacros. Eccles.* Mancipatio quam Cicero in *Topic. traditionem nexu vocat*, & in jure cessio, de quibus Ulpianus in *fragm. tit. 19. Boet. ad d. loc. Cicero.* jam tempore Justiniani exoleverant. Antiquitatis studiosi addeant D. Anton. Contium *l. disput. 12. claris. Salmas. cap. 8. de usur.*

dum sit an juri naturali, id non ex nudo usu populorum sed ex eo quod suggerit ratio naturalis asserendum est, *§. 1. sup. de jure nat. gent. & civil.* Usucapio definitore Modestino, *l. 3. hoc tit.* est, adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti. Quid singula definitionis sibi velint dicitur postea in explicatione *§. 7. infr. hoc cod. tit.*

1. *Longi temporis praescriptionibus* Qui hanc partem inscriptionis mutant, & pro longi temporis praescriptionibus reponendum arbitrantur longi temporis possessionibus, inter quos sunt Cujac. Hotom. Wesemb. Tim. Faber, quod & Pacius probat, illi nec mentem Justiniani nec quid hoc *tit.* agatur satis animadvertere mihi videntur. Mens Justiniani intelligitur ex

eo quod in principio commemorat constitutionem suam de usucapione transformanda qua constitutione cum duo diversa essent genera acquisitionis, usucapio, & longi temporis prescriptio: usucapionem ita transformavit ut tamen utrumque in illo uno velut permixtum retinuerit: atque hoc etiam ex verbis inscriptionis intelligere nos voluit. Si alibi quoque hæc duo conjungit, usucapionem aut longi temporis prescriptionem, §. pen. Inst. infr. per quas per. cuiq. adq. Conferuntur item & conjunctum ista duo appellatur a Gajo, l. 54. in pr. de evictio. Hoc tantum interest, quod Gajus duo diversa adquirendi genera ut tunc erant significat, Justinianus unum & idem ex duobus istis se conflatum; neque enim sustulit ille longi temporis prescriptionem sed auxit, addita ei usucapione in solo provinciali. Sed neque agitur hoc titulo de possessione nisi per occasionem, neque magis quam de bona fide aut justo titulo; sed de horum omnium concurrentium effectu & acquisitione ipsa, que olim duplex erat, usucapio & longi temporis prescriptio: quam utramque, ut diximus, sic recipiunt Justinianus ut ex duabus unam fecerit.

2. Erat vero triplex inter usucapionem & longi temporis prescriptionem discrimen, in rebus, in tempore, in acquisitionis effectu. Usucapio locum habebat in rebus immobilibus. Usucapio soli tantum, in mobilibus omnibus. Prescriptio frequentabatur in prædiis dumtaxat provincialibus. Usucapio rerum mobilium anno terminabatur, immobilium biennio. Prescriptio consumabatur decem annis inter presentes viginti inter absentes. Usucapio possessorem dominum efficiebat. Prescriptio possessori non dominum tribuebat sed jus aliquod dominio simile & proximum; de quo dicam plenius postea. Hæc differentias sustulit Justinianus servato uno discrimine rerum mobilium & immobilium, l. un. C. de usuc. transform.

3. Eorum error manifestior est quam ut refelli debeat, qui hæc genera se distinguunt, ut dicant usucapionem tantum esse rerum mobilium, longi temporis prescriptionem rerum immobilium; & vel unum hujus tit. principium hos refellit.

4. Initio docetur quæ res quanto tempore à quibus usucapiantur; deinde de rebus agitur quæ usucapionem non recipiunt: tum de continuatione possessionis & conjunctione temporum; postremo de fisci traditione & prescriptione quadriennii fiscali.

TEXTUS.

Jure civili constitutum fuerit ut qui bona fide ab eo qui dominus non erat, cum credere eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione aliase quavis justa causa accepit, in eam rem si mobilis erat anno ubique uno; si immobilis biennio tantum in Italico solo usucapere; ne rerum dominia in incerto essent. Et cum hoc placitum erat, putantibus Antiquiuribus, dominis sufficere ad inquirenda res suas prefata tempora: nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur; & ideo constitutionem super hoc promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobilis per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem (id est, inter presentes decennio inter absentes viginti annis) usucapiantur; & his modis non solum in Italia sed etiam in omni terra que nostro Imperio gubernatur dominia rerum justa causa possessionis precedente adquirantur.

LL. 1. 9. & 18. tit. 29. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Auctoritatis verbo quid lex XII. tabb. intellexerit.
2. In persona usucipientis quæ necessaria; & de bona fide.
3. De justo titulo.
4. Cur prædia provincialia usucapi non potuerint.
5. Juris de usucapione constituti ratio & defensio.

Jure civili] Hoc plerique sic interpretantur perinde ac si dixisset lege XII. tabularum; & verum est ex hoc fonte jus usucapionum manare. Sed quod sequitur de distinctione locorum ex lege XII. tabb. esse non potest quippe cum eo tempore quo Decemviri legem tulerunt populus Romanus pedem extra Italiam non haberet, adeoque angustissimis intra ipsum Italie solum finibus Imperium Rom. contineretur. Credibile vero est propagatis postea Imperii finibus, Jurisconsultorum dispositione prædia Italici soli & provincialia jure auctoritatis distincta fuisse. Apud M. Cicero in Top. cap. 4. hæc leguntur: *Quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium; at in lege ædes non appellatur. Et in orat. pro Cæcina cap. 19. Lex usum auctoritatem fundi jubet esse biennium. Unde existimare licet sic lege sancitum fuisse: Utus au-*

DE USUCAPION. ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT.

Auctoritas fundi biennium est; ceterarum rerum annus esto. Auctoritatis verbo multa & diverse significantur. Vulgata non tangemus. Venulejus l. ult. de evict. auctoritatem interpretatur actionem pro evictione; & quo sensu etiam accipitur apud Paul. 2. sent. 17. L. Seneca lib. 4. natur. quest. Ergo si mihi parvam credis, Pudentius tibi auctoritatem promittit, id est, Pudentius. Scævola l. ult. de pign. act. instrumentum auctoritatis appellat quod primo dixerat instrumentum emtionis; nimirum instrumentum quo de evictione promissum est, aut omnino instrumentum quo probatio juris nostri, sive ut vulgo loquuntur, tituli acquisitionis continentur: cujusmodi tabule instrumenta ad probationem originis prædiorum appellantur, l. 24. C. de fideic. Sic apud M. Senecam lib. 7. contr. 6. quæ emtionis tabule primam, eadem post auctoritatis tabellæ nominantur.

1. In lege Atinia, & in illo XII. tabb. *Adversus hostem æterna auctoritas esto*, verbo auctoritatis jus domini significatur aut jus vindicandi. Grot. in par. flor. Sensus hic est, ne peregrinus dominium rerum nostrarum usucapione nobis eripere possit. Cicero pro Cæcina, cap. 16. *Aqueductus, hauritus, iter, aditus à patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium à jure civili sumitur: rata auctoritas, id est firmum ac fixum harum rerum jus.* Eodemque significatu & Scævola hac voce usus est l. ult. de aqua & ag. pluv. In proposito quoque puto Decemvros nomine auctoritatis intellexisse jus legitimum domini; ut sit sensus: usus qui auctoritatem, id est, justum dominium fundi afferat sit spatium boni; qui ceterarum rerum annus. Quod perinde est ac si dixisset: *Fundus biennium potest usucapitur; cetera res annum potest usucapionem.* Cicero in ea de Atusp. resp. cap. 7. *Multa sunt domus jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi.* Jure auctoritatis perspicuum est hic significari ipsam usucapionem sive jus legitimum domini per usucapionem quesiti, non emtionem, que non mancipio facta est, ut vult doctissimus Salmas. lib. de usur. cap. 8. Neque enim dici possum jure optimo domum habere cujus ex jure Quiritium dominus non sum; & ideo jura legitima tantum Cicero commemorat. Idem vir doctissimus existimat legem XII. tabb. verbo auctoritatis intelligere actionem pro evictione, cui Decemviri volerint non ultra biennium patere locum in rebus soli, in mobilibus non ultra annum. At plerique omnes qui

281 in conditione usucipiendi sunt, re evicta ante impletam usucapionem, actionem pro evictione non habent. Qui pro herede pro legato pro derelicto pro adjudicato pro noxe dedito pro suo possidet, certo jure usucapit; & tamen si res intra tempora usucapionis evincatur non est locus actioni ob evictionem, cujus hic periculum nemo præstat. Sed neque ipsa evictio seu jus quod dominus habet reu à possessore judicio auferendi intelligi potest; non enim eo principaliter hoc caput legis pertinet, ut sciamus quid juris domino relictuatur intra annum aut biennium; sed quid usus sive possessio anni aut bienni tribue utenti possidenti, nimirum rei possessæ legitimum dominium, ut patet ex definitione Modestini l. 3. hoc tit. Videtis Budæ. ad l. 65. de evict. Cont. 1. disp. 10. Don. 5. comm. 20. & q. legem XII. tabb. commentariis illustrantur Balduin. Hocot. Marcell.

2. *Bona fide*] In persona ejus quem usucapere volumus hæc sunt necessaria; ut possident, ut juste, ut continenter, ut per se lege definitum; quorum unumquodque ut sese offerat ita explicabo. Quod hic traditur de bona fide ad justitiam possessionis pertinet; quemadmodum & illud quod mox sequitur de causa. Igitur ad usucapionem non sufficit possidere nisi & bona fide possides. Bona fides æstimatur ex eo quod possessor putavit eum à quo rem accepit dominum esse; aut jus transferendi dominium habere, ut proinde opinetur se quoque statim dominum esse, etiam esse, l. 109. de verb. sign. l. 27. de contr. emr. §. 35. sup. de reb. div. Hæc autem opinio necesse est ut remota sit ab errore juris; nam juris error acquirere volentibus numquam prodest, ll. 7. & 8. de jur. & fact. ign. ac proinde nec possessori in usucapionibus, l. 31. pr. hoc tit. l. 2. §. 15. pro emr. Ceterum sufficit ab initio bona fide possessionem nancisci; jure enim civili bene coeptam usucapionem non impedit scientia rei alienæ postea superveniens, l. un. C. de usuc. transform. l. 48. §. 1. de acquir. rer. dom. spectaturque in ea re initium traditionis, non contractus, l. 15. §. ult. l. 44. §. 2. hoc tit. præterquam in emtione, in qua utrumque tempus inspicit placet, & quo contrahitur & quo res traditur, l. 2. pr. pro emr. l. pen. hoc tit. Diversitatis rationem indicat Paulus in stipulatione d. l. 15. in fin. quia, inquit, concessum est stipulari rem etiam que promissoris non sit; inuenus, salva fide etiam scientes non pati alienam stipulari non posse; at non pari sinceram fidem ut rem alienam scientes

quis emat; & ideo huic non præstatu evic-
tio, l. 27. C. de evict.

*Rem.] Corporalem scilicet: nam res incorpo-
rales, veluti servitutis, per se usucapionem
non recipiunt, l. 14. de serv. l. 43. §. 1. de
adq. rer. dom. Quippe in quæ non cadit posses-
sio in ea nec usucapio cadit. Ceterum est in
his rebus locus acquisitioni longæ quasi posses-
sionis, & effectû juris quasi usucapionum, l.
ult. C. de præscr. long. temp. l. 10. si serv. vind.
Vide quæ scripsi ad §. ult. Inst. sup. de serv.
rust. & urb. præd. Plane per consequentiam
etiam veteri jure usucapiebantur, cum id prædi-
um usucapum esset cui servitus debetur, l.
10. §. 1. hoc tit. quamquam revera nihil hic
usucapient, sed prædium suæ conditiones se-
quuntur, l. 23. §. 2. de serv. præd. rust. De
aliis rebus quæ usucapionem non admittunt di-
cam §. 1099.*

3. *Aliæque iusta causa] Id est, justo titu-
lo, eoque qui idoneus sit ad transferendum
dominium: eos enim qui nullo justo titulo
possident ratio juris dominium quærere non
patitur, l. 14. C. de rei vind. l. 4. C. de præscr.
long. temp. eademque proprus in proposito ra-
tio est domini transferendi & transferendi
conditionem usucapionis, l. 31. de adq. rer.
dom. §. pen. Inst. infr. per quas pers. cuig. adq.
Iusta causa aut à privatis est aut à iudice
aut à magistratu aut à nullo sed ab ipsa
rerum conditione. A privatis, si quid ab his
dominii transferendi causa traditur solvitur
datur derelinquitur, l. 3. §. 21. de adq. poss.
cujus generis pleraque propriis tit. compre-
hense in π . & Cod. A iudice in adjudica-
tionibus, quæ sunt in iudiciis divisiis; si
videlicet de alienis fundis tamquam commu-
nibus actum sit, l. 17. hoc tit. aliqui statim
res ejus sit cui adjudicata est, §. ult. Inst. inf.
de off. jud. A magistratu, quibus in causis posses-
sionem transferre potest; siquidem iuste possi-
det qui auctore prætoris possidet, d. l. 3. in
fin. l. 11. de adq. poss. A nullo, quæ solo
occupatione, si nullus essent, statim nostra
sacerent. Hinc titulus possessionis specialis pro
suo §. 2. pro suo. Generaliter quidem etiam
quisquis ex iusta causa possidet pro suo possi-
det, l. 1. eod. verum ex speciali titulo cer-
ta usucapio; ex generali nulla, nisi specialis
aliqua causa, puta emtio donatio &c. præ-
cesserit; nec sola existimatione nostra sed re-
vera, l. 27. hoc tit. de quo plenus postea.*

4. *Immobilia tantum in Italico solo] Aut eo
quod jus Italici soli habebat. Nam & in provin-
ciis fuere quædam prædia juris Italici, vi-
delicet coloniarum quibus jus Italicum da-
tum erat, l. 1. de censib. in quibus prædii
mancipationis & usucapionis locum fuisse du-
bitandum non est. His exceptis, prædia provin-
cialia neque à possessoribus mancipio dari
neque ab alio usucapi olim poterunt; ni-
mirum quia uterque hic modus adquirendi ex
jure Quiritium erat, plenumque jus & do-
minium Quiritiarium continebat. Possesses
autem prædiorum provincialium directi do-
mini & pleno jure non erant, sed jus sum-
mum domini populus Romanus sibi reservare
consueverat cum ea bello capta veteribus do-
minis restitueret; inque argumentum retenti
juris annuum is vectigal imponere. Ceterum
jus quod possessoribus relictum erat, ut id à
domino juris statim in alios traditione trans-
ferri poterat, ita & à bonæ fidei possessore
longi temporis possessione acquiri, ne semper
inquietaretur: quæ adquisitio præscriptio di-
cebatur, l. 54. in pr. de evict. l. 1. §. 1. de
jurejur. l. 21. hoc tit. Erat autem jus tale quod
& exceptione defendere, & amissa possessione
utili actione persequi, d. l. 13. §. 1. ff. de jure-
jur. l. 8. C. de præscr. 30. ann. hereditibus de-
nique relinquere & in alios quosvis transfe-
rebat; jus nimirum à iudice reale simile em-
phyteutico quod proxime ad jus dominicum*

potuerunt; & conditione sua omnes usucapio-
nem recipiant. Immobilem autem quæ-
dam tales erant ut usucapio in his non habere-
ret locum: qualia erant prædia provincialia,
ut mox dicemus. Quod autem brevis tem-
pus usucapionis rerum mobilium præstatum sit
quam immobilium, ad eam rationem habere
putant, quod regulariter minus in illarum
cum harum amissione præjudicium veritatis
cum aliqui longius tempus poscere videatur
usucapio rerum mobilium, utpote quæ occul-
tari possunt, quam prædiorum. Sed hoc ni-
hil est: nam occultatio illa vitio furti rem
afficit & usucapione eximit. Non alia ratio
est quam ea quam hic indicat Justinianus post
Gajum, l. 1. hoc tit. quod Veteres crederentur
annum aut biennium domino sufficere ad in-
quirendas res suas, posse scilicet quælibet
patremfamilias res mobiles uno semestri re-
censere, & altero quæ desiderantur quærere;
prædia uno anno lustrare, & quæ ab alio
possessa invenerit altero anno recuperare:
quod & Varro de rer. rust. bono patriam. fac-
iendum esse monet.

5. *Ne rerum dominia in incerto essent] Si
jus de usucapione constitutum æstimetur ex
meris præceptis juris naturæ sive gentium de-
fendi ab iniquitate non potest; sed quod ex
iniquo habet id contra singulos rependitur
utilitate publica. Bono enim publico usuca-
pio introducta est, ne scilicet diu rerum domi-
nia in incerto essent, l. 1. hoc tit. Quippe in-
certitudo domini facit ut res quæque negli-
gentius habeatur, agri minus diligenter col-
lantur: parit lites & controversias quibus
occurri publice interest: æque ut occurratur
& litium aliquis sit finis usucapio constituta
est, l. ult. pro suo, l. 2. in pr. de aqua & ag-
pluv. & ideo Cicero in orat. pro Cæcilio, cap. 26.
usucapionem appellat, finem sollicitudinis & lit-
rium. Hæc igitur causa legislatoris movit ut
usucapionem introducerent; ut vero id fieret
cum minima privatorum injuria, certa atque
idonea tempora præstituerunt quæ abunde do-
minis sufficerent ad inquirendas res suas, eas-
que sibi asserendas & possessionem alterius
interpellandam: quod si facere negligant &
patientur usucapi, sanæ ipsorum voluntate
quodammodo rem alienare videntur, l. 28.
de verb. sign. Quamquam etiam contra igno-
rantem rem suam ab alio possideri usucapio
procedit, l. un. C. de usuc. transform. l. ult.
C. de præscr. long. temp. Privatum enim dam-
num quod ex usucapione est pensatur egregio
publico; in quo vera & solida utilitas
continetur, & cujus proinde prima ratio ha-
benda. Atque hæc hujus acquisitionis defen-
sio sit contra eos quibus ea genere ipso injus-
ta videtur. Appellat sane Justinianus præ-
scriptionem impium prædium est improbam
temporis allegationem, Nov. 9. verum non sim-
pliciter, sed quatenus eo præsidio homines
sciencier abutebantur contra constitutionem ip-
sius & adversus bona eccl. subsidia Ecclesia-
rum. Postea tamen constitutionem istam ab-
rogavit experimento doctus cum ex usu Reip-
ublicæ non esse, Nov. 11. §. 1. ff. de jure-
jur. Nec tamen defendi non potest usucapionis
justitia si respiciamus ad ejus fundamentum.
Qui intra tantum temporis spatium, puta in-
tra decem vel viginti annos, rerum suarum nul-
lam curam egit, is sane eas videtur pro de-*

DE USUCAPION. ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT.

relictis habuisse: maxime cum res immobiles
earumque situs latere vix possint. Si dicat,
domino defuisse occasionem? rindicandi, quid-
ni possessionem saltem denuntiatio ione interru-
pit? Ei quidem qui rem pro derelicta habet
animus esse debet & consilium derelictandi,
quale hic in domino esse negant; sed justis-
sime leges hujusmodi consilium presumunt
ex negligentia domini intra tantum temporis
spatium rem non vindicantis. Si enim iusta
ipsi causa sit cur vindicare non poterit, vel-
uti absentia Reip. causa, minor ætas &c. leges
ipsi haud negant restitutionem in integrum, &
usucapionem rescindunt. Hæc.

Id est, ne maturius res suis defraudentur]
Id est, ne maturius res suas amittant, ne pos-
sessionibus suis cecius quam par est cadant, ut
est in d. l. un. C. de usuc. transform. Usus
autem est verbo defraudandi propter duriciem
legis antiquæ, quæ nimis angusto temporis spa-
tio usucapionem terminabat, remque alienam
excluso domino addebatur possessori. Ceterum
quod proprie hoc verbum significat, nemi-
mirum per fraudem vel alienam intervertere:
id neque lege antiqua possessori permissum fuit.

Constitutionem super hoc promulgavimus] Ea
est l. un. C. de usuc. transform. qua lege cum
jam antea sustulisset antiquam distinctionem
dominii in bonitarium & Quiritiarium, l. un.
C. de nud. jur. Quir. toll. hoc insuper consti-
tuit, ut prædia provincialia eodem jure cum
Italici censerentur, atque æque ut Italica
eodemque effectû usucapi possent. Præterea
tempora usucapionum tam in rebus mobilibus
quam in rebus soli in tantum prolongavit, ut
nulla justa quarimonia superstiti sit tam longo
tempore continuata possessio possessorem tueri-
atur eique dominium adjudicet. Summa consti-
tutionis est, ut qui rem à non domino acce-
pit ex iuxta causa & bona fide, canque mo-
bilem per triennium, immobilem per decem an-
nos inter presentes per viginti inter absentes
continenter possidet, is ejus rei dominus ple-
no jure efficiatur. VINN. Quod jus etiam ho-
die apud nos obtinet ex ll. 9. & 18. tit. 29.
Part. 3. antiquis ll. Fori Regii tit. 1. lib. 2.
in quibus annum & diem ad præscriptionem
sat esse definitum erat. Verumtamen licet hæc
temporis defectio decem aut viginti anno-
rum in genere vera sit: sunt tamen res
quæ longiorem, sunt quæ breviorum tempo-
ris tractum ad præscriptionem desiderant. Ita-
que nostris legibus adversus actionem realem,
hypotecariam, vel mixtam solum triginta an-
norum possessione præscribitur, l. 6. tit. 15.

*lib. 4. Recop. ad adquirendam vero jurisdictionem per usucapionem possessio immemorialis desideratur, l. 1. tit. 15. lib. 4. Recop. Contra actionem vero personalem quoad iudicium executivum decem annis prescribitur, l. 6. de tit. Recop. quoad iudicium vero ordinarium viginti, l. 1. tit. 29. Part. 3. Quae vero res brevioris temporis spatio prescribuntur, sunt sequentes: (1) obligatio fidejussoris qui reum iudicio sistere promissis ad lendum poenam ob desertum vadimonium, anno prescribitur, l. 10. tit. 16. lib. 5. Recop. (2) Jus famulorum ad petenda stipendia à suis heris tribus annis prescribitur, l. 9. & 10. tit. 15. lib. 4. Recop. (3) Pharmacopolarum. & eorum qui tabernas habent, aut artes mechanicas exercent, jura ex suis artibus profecta trium annorum prescriptione delentur eadem, l. 9. Demum advocatorum & procuratorum honoraria eadem triennali prescriptione perentur, l. 32. tit. 16. lib. 2. Recop. Illud summopere animadvertendum est ea quae diximus de decem aut viginti annorum curriculum ad acquirendum usucapione dominium, intelligi de possessione cum bona fide & iusto titulo: est enim aliud prescriptionis genus, quae longi temporis dicitur & triginta annorum spatio continetur, in qua nihil omnis opus est possessionis titulo, l. 21. tit. 29. Part. 3. Quarationis est sine bona fide prescribenti necessaria in prescriptione triginta annorum, aut etiam in immemorabili; & licet leges Regiae non obscure significant etiam sine bona fide prescribi posse: obviunt tamen ex aequitate juris Canonici ut in omni prescriptionis genere bona fides esset necessaria nedom in initio prescribendi, verum etiam in toto tempore possessionis. Atque huiusmodi usum etiam hodie servandum esse docent Gregor. Lopez ad *diff. l. 1. Covarrub. in regul. Possessor. part. 2. §. 8. n. 4.* Una exceptio est in actionum personalium prescriptione, quas etiam cum mala fide tempore deleri posse tradit idem Praxes in *diff. regul. part. 2. §. 1. n. 3.* cum quibusdam tamen limitationibus, quas apud eundem tandem videre poteris. **ADDIT.***

Decennio inter praesentes, viginti annis inter absentes] Explicat quantum tempus intelligat per possessionem longi temporis, nimirum inter praesentes, id est, qui in eadem provincia sunt, l. ult. C. de praesc. long. temp. decem annos, inter absentes viginti. Atque ita sicut ex veteri usucapione effectum sumit & acquisitionem veri domini, ita ex veteri prescriptione sumit spatium temporis atque id

(1) Res sacre, l. 6. tit. 29. Part. 3.

ad usucapionem omnium rerum immobilium transfert, ut scilicet ex dualibus acquisitionis speciebus; ut jam nulla amplius difficultas inter prescriptionem & rerum immobilium usucapionem superest; & prescriptionem inquam longi temporis, quae iisdem ut usucapio titulum & bonam requirebat fidem: nam prescriptionis temporis longissimi, scilicet 10. vel 40. annorum alia ratio est quae solo temporis lapsu possessorem tuetur.

TEXTUS.

Quae usucapi possunt vel non. De his quae sunt extra commercium, & de servo fugitivo.

1. Sed aliquando etiam maxime qui bona fide rem possederit non tamen illi usucapio alio tempore procedit: veluti si quis liberum hominem vel rem sacram vel religiosam vel servum fugitivum possideat.

L. 6. tit. 29. Part. 3.

COMMENTARIUS.

Hoc §. & aliquot sequentibus disputatur de rebus quae etsi corporales sunt usucapionem tamen non recipiunt: sed quia multae quae in hoc numero sunt hic non commemorantur, ecce tibi in summa omnes exhibebo. Quarundam rerum ea natura est ut omnem omnino acquisitionem qualis cumque ea sit respuant, & consequenter simul usucapionem: cujusmodi sunt quae commercio humano sunt exemptae, ac proinde in bonis haberi non possunt, ut homo liber, res sacrae, religiose, sanctae, publicae populi aut civitatum, l. 4. & 6. de contr. emp. l. 9. hoc tit. Quaedam etiam res sunt quae cum sint in bonis & acquiri possint usucapi tamen non possunt lege earum usucapionem prohibente. In hoc genere sunt resuscipio: d. l. 48. l. 3. C. qui non obs. long. temp. prescrip. C. ne rei dom. vel empl. vend. Civitatum, Ecclesiarum, gerontocomiorum & locorum similium, l. 23. C. de sacresanct. Eccles. Nov. 9. l. 11. & 13. c. 6. res furtivae & vi possessae, §. 1. de praedi contra legem Juliam datae, l. 48. de acquir. rer. dom. l. pen. de leg. Julia rep. res pupillorum: d. l. 48. l. 3. C. qui non obs. long. temp. prescrip. quin nec prescrip. 30. annorum contra pupillos currit, l. 3. C. de praesc. 30. ann. res minorum 25. annis, l. ult. C. in quib. ca. in inter. bona advenientia filiarum, l. 1. §. 2. C. de annal. cas.

DE USUCAIONE. ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT.

ext. fundus dotalis cujus quod alienario lege Julia prohibita est, l. 4. de fund. dotal. hoc ipso etiam usucapionem prohibitam esse pro certo statuit Triphonius in l. 1. §. 1. eod. tit. Postremo res testamentum alienari prohibita, l. 2. C. pro emp. l. ult. §. 3. C. com. de legat. Jam pergamus.

Liberum hominem] Sola temporis longinquitate, etiam si sexaginta annorum curricula excesserit, libertatis jura non masculi à Constantino rescriptum est l. ult. C. de long. temp. praescr. qua pro lib. Meminit Imp. 60. annorum, non quia longioris temporis lapsu libertati praescribatur; sed quia raro homines diutius vivunt. Er enim nec centum annorum praescriptio hic sufficeret, ut bene istic Accurs. quomodo nulli omnino hic locus esse titulo potest. Possessores 30. annorum defenduntur exceptione temporis quae omnes excludit actiones, etiam nec titulus probetur nec bona fides, l. 3. & 4. C. de praescr. 30. ann. Ceterum res ipsas quae possidentur tales esse oportet ut iusto titulo acquiri & dominio nostro subijci possint.

Servum fugitivum] Hic servus pertinet ad prohibitionem §. seq. quippe qui sui ipsius furtum facere intelligatur, l. 60. ff. de furt. l. 1. C. de servo. fug. Accursus putat dominum ne 30. quidem annorum prescriptione excludi eo quod possessionem fugientis servi retinet, l. 1. §. 14. l. 15. in fin. de adq. poss. Quod inceptum est. Nam cum de usucapione aut prescriptione quaeritur, necesse est huiusmodi casus ponatur quo alius servi possessionem nactus sit. Hoc vero cum sit dominus possidere desinit.

TEXTUS.

De rebus furtivis & vi possessis.

1. Furtiva quoque rei & quae vi possessae sunt, nec si praedito longo tempore bona fide possessa fuerint usucapi possunt. Non furtivarum rerum lex duodecim tabularum & lex Atria inibent usucapionem 3. vi possessarum lex Julia & Plautia. Quod autem dictum est, furtivarum & vi possessarum rerum usucapionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet ut ne ipse fur quive per vim possidet usucapere possit (nam hi alia ratione usucapio non competat, quia scilicet mala fide possident); sed ne vilius alius quamvis ab eis bona fide emerit vel ex alia causa accipit usucapendi jus habeat. Unde in rebus mobilibus non facile procedit ut bona fidei posterioribus usucapio competat. Nam qui sciens

alienam rem vendiderit vel ex alia causa traderit furtum ejus committit. Sed tamen id aliquando alter se habet. Nam si heres rem de fundo commodatam aut locatam vel apud eum depositam, existimans hereditarium esse, bona fide accipienti vendiderit aut donaverit aut doti nomine dederit: quin si qui accepit usucapere possit dubium non est. Quippe cum ea res in furti vitium non incidit: cum utique heres qui bona fide tanquam suam alienaverit furtum non committat. Item si it ad quem ancilla usufructus pertinet, partem suam esse credens vendiderit, aut si donaverit furtum non committit. Furtum enim sine effectu furandi non committitur. Alii quoque modis accidere potest ut quis sine vitio furti rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat ut à possessore usucapiatur. Quod autem ad eas res quae solo continentur expedit, jus ita procedit: ut si quis loci vacantis possessionem propter absentiam aut negligentiam domini, aut quia sine successore decederit sine vi nunciatur, quamvis ipse mala fide possideat (quia intelligit se alienum fundum occupasse), tamen si alii bona fide accipienti traderit, poterit ei longa possessione res acquiri quia neque furtivum neque vi possessum accepit. Abolita est enim quorundam Veterum sententia existimantium etiam fundi locum furtum fieri & eorum utilitati rei soli possidenti Principalibus constitutionibus prospicitur, ne cui longa & indubitata possessio debeat auferri.

L. 4. tit. 29. Part. 3. Et l. 5. tit. 15. lib. 4. Recop.

COMMENTARIUS.

1. Aliquo casu qui sciens rem alienam vendit furtum facere non videtur.
2. Emendationem Cujacii veris. Quod autem, non esse necessarium.

Furtivarum rerum lex XII. tab. & Lex Atria] Utriusque hujus legis etiam meminit Julian. l. 33. in pr. hoc tit. Verba legis Atriae prodi Gell. lib. 17. cap. 7. Quod surreptum est, ejus rei aeterna auctoritas est. Quorum verborum hic sensus est: ejus rei quae surrepta est dominium à domino nunquam recedat: jus & poestatem habeat semper eam vindicandi; nec ullo usuo alteri adquiratur. Quam sententiam fuisse legis ex eo liquet, quod lex ita accepta est quasi interdiceret rei furtive usucapionem. Eadenuque sententia est ejus quod apud Cic. lib. 1. de offic.

offic. cap. 12. legimus: *adversus hostem aeterna auctoritas esto*. Proculdubio autem lege Atinia quadam addita sunt de quibus prius lege duodecim nihil cautum fuerat; & Paulus lege Atinia tribuit hoc caput quod est de usucapendi re futura cum in potestatem domini rediit. l. 4. §. 6. hoc tit. l. 215. de verb. sign. VINN. Recte hæc lex dicitur Atinia, non Attilia, uti apparet ex Gell. lib. 17. cap. 7. Ex quo etiam discimus hanc legem antiquiorem esse temporibus Scævole, Bruti, Manili, P. Nigidii, J. Cætorum. Verosimile itaque est eam latam A. U. C. DLVI. C. Cornelio Cethego & Q. Minucio Rufo Cos. à C. Atinio Labeone Tribuno plebis, Septh. Vin. Pigh. *annal. Rom. tom. II. p. 255. HEIN.*

Vi possessarum lex Julia & Plautia] Leges hæc non uno tempore late; Alioqui Julia Plautia diceretur sine copula, ut Plautia Pappia, Pappia Poppea, Julia Norbana &c. sed Plautia de vi, item Julia de vi hoc caput habuerunt. Plautia de vi prior fuit lege Julia, unde & in præponitur, l. 33. §. 2. hoc tit. Ait, *vi possessarum*. Vi possessa res sit oportet ut usucapi nequeat; neque sufficit vi aliquem de prædio defectum esse, nisi qui deiecit possessionem occupavit. Quod si ille ingressus non fuerit sed alius in vacuum possessionem intraverit, poterit id prædium etiam antequam in domini potestatem redeat à bonæ fidei possessore usucapi. l. 4. §. 2. l. 33. §. 2. eod. VINN. Recte notat Vinnius binas has esse leges; & tamen illarum tamquam unius meminerunt leges nostræ etiam alibi, l. 33. §. 2. ff. de usur. & usuc. Plautia vel Plotia de vi lata est à M. Plautio Trib. pleb. A. U. C. DCLXIV. Cn. Pompejo Strabone & L. Porcio Carone Cos. Julia autem non alia est quam illa de vi publica & privata à Julio Augusto lata. vid. *nostr. antiq. Rom. lib. 2. tit. 6. §. 5. HEIN.*

Quod autem dictum est] Superfluum hoc monere; frustra enim prædictæ leges late fuissent si nihil aliud caverent quam ut ne fur ipse aut qui per vim possidet usucapere possent: quippe qui nec ante legem Atiniam aut Plautiam usucapere potue ut certo jure, propter malam fidem quam manifestum est usucapientis semper obtinisse. Hoc tantum prospicere leges voluerunt, ne maleficio alienum causam daret rem alienam.

Ne ullus alius quamvis ab eis bona fide] Aut etiam ab aliis qui jam ante à fure aut violenter possessore rem acceperunt. Nam res cum suo vicio quo ab initio affecta est transit, l. 7.

C. pro emt. l. 11. C. de adq. poss. Ut autem à bonæ fidei possessore usucapi possit talem esse oportet ut in se non habeat vitium, §. 5. inf. hoc tit. Denique ubi lex simpliciter inhibet usucapionem bona fides possidenti ad usucapionem rei nihil prodest, l. 24. ff. hoc tit. Plane præscriptio triginta annorum dominum repellit; sic enim constitutum est de actionibus omnibus sive in rem sive in personam, ut triginta annorum iugi silentio præscriptione excludantur: usque adeo ut in rebus possessis hoc etiam ipsis male fidei possessoribus tribuatur, l. 3. §. 4. C. de præscr. 30. ann. quamquam id secta nostrorum temporum non admittit.

Unde in rebus mobilibus non facile procedit] Quia rerum mobilium tantum non etiam immobilium furum fieri potest, inde colligit usucapionem in rebus mobilibus difficilior & rarius contingere, hoc argumento, quod res que furto obnoxie sunt etiam facile in furti vitium cadunt; quisquis enim rem alienam mobilem sciens quacumque ex causa alii tradidit eum furum committere; quod etiam scriptum est l. 1. C. pro emt. l. 2. C. pro donat.

1. *Qui sciens rem alienam vendiderit*] Videamus an non aliquo casu hæc regula vitetur. Finge, heredem rem defuncto commodatam quam hereditariam esse putabat vendidisse & tradidisse bona fide accipienti: eundem cum esset in conditione usucapientis cognovisse rem alienam esse; constat non interrumpti usucapionem; sed quæro, an si possessor eam rem antequam usucapionem impleat alteri iterum vendiderit furum facere dicendus sit? Et quidem quamdiu res usucapita non est aliena est; ut si verba regulæ præcise sequamur dicendum sit furum committi. Sed puto hoc in proposito non debere admitti; & regulam procedere cum quis ab initio scivit rem alienam esse; qui cum usucapere non possit intelligitur vendendo rem velle revertere domino: nam etsi sibi eam retineat intervertendi causâ furum facit, l. 67. de furt. At vero qui bonum initium habet, cum possit ipse continuando possessionem rem usucapere, non potest videri furum committere si alteri eam tradat. Cujac. ad l. 7. §. 6. pro emt.

Sed tamen id aliquando aliter] Dixit modo rerum mobilium difficilem esse usucapionem, idque probavit hac ratione, quod res alienæ mobiles difficulter transferantur quod in vitium furti cadant. Id nunc ostendit aliquando aliter se habere, & non uno etiam modo

DE USUCAPIONE ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT.

do citra furum accidere posse ut res aliena alteri vendatur aut donetur, ac proinde totidem modis fieri ut à bonæ fidei possessore usucapi queat. Locus hic descriptus est ex Gajo l. 36. hoc tit. non iisdem quidem verbis sed idem significantibus, æque claris ac perspicuis. Quod idem moneo, quia Hotomanus scribit Tribonianum hoc loco non satis ad suum negotium attentum fuisse, & verba hujus textus nihil significare. Mihi ipse Hotomanus dum hæc scriberet vigilasse non videtur.

Bona fide accipienti vendiderit aut donaverit] Duos profert modos quibus alienatio rei alienæ mobilis fit absque furto: utrumque ex Gajo d. l. 36. Unus hic est, si heres rem defuncto commodatam locatam aut apud eum depositam existimans eam hereditariam esse tamquam suam alienaverit. De herede ipso rem talem retinente nihil dicit, quia ad probandum quod propositum erat, sine vitio furti aliquando rem alienam transferri posse, hoc nihil facit. Nos an heres ipse huiusmodi rem usucapere possit videbimus postea sub §. 7. inf. hoc tit.

Partum suum esse credens] Casus hujus generis alter. Partus ancillæ in fructu non est sed ad dominum proprietatis pertinet §. 37. sup. de rer. div. Sed nec fructuarius usucapere partum potest, sive sciat partum alium esse sive ad se pertinere putet; quia juris hic error est qui possessori in usucapione non prodest, l. 31. ff. hoc tit. Ceterum si partum suum esse credens, forte erroi causam præbente quod fetus pecudum ad fructuarium pertinet, alteri eum vendiderit: poterit à bonæ fidei possessore usucapi, d. l. 36. §. 1. quippe cum hic nihil sit in persona accipientis quod usucapioni obstat, neque furti vitio res affecta sit; non enim si fructuarius ignorantia juris partum ut suum vendat idcirco eum furivum facit: quippe cum furum non committatur sine animo & affectu furandi, qui in errante nullus est, l. 37. eod. §. 7. *Inst. inf. de ol. qua ex del. vulgarumque est, quamvis vel fatuum existimationem excusare à dolo, per l. 1. in fin. ff. de abiguit, l. 14. C. ad l. Fub. de plag.*

Aliis quoque modis accidere potest] Alius modus est apud Gajum d. l. 36. §. 1. si quis scilicet errore aliquo lapsus eadendit se heredem esse cum non esset, & rem hereditariam alienaverit. Item alius apud Papinian. l. 57. mandat. si heres defuncti mandatarii quid distraxerit animo exequendi quod defunctus

TEMPORIS PRÆSCRIPT.

sua curæ fecerat. Duo alii sunt apud Pompon. l. 5. pro del. si quis id quod pro derelicto habitum possidebat vendiderit; item si quis rem vendiderit ab uxore sibi donatam: usque adeo ut hic non obstat usucapioni quod error sciverit rem in ea causa esse; quia quasi volente & concedente domino venditur, d. l. 5. pro del.

2. *Quod autem ad eas res que solo continentur expedit, jus ita procedit, ut si quis*] D. Cujacius hunc locum sic restituit: *Quod autem ad eas res que solo continentur expeditius procedit, ut quis &c. ut hæc phrasit, quod ad eas res que solo continentur, sit ellipitica, & intelligatur verbum atiner; & quia tunc nondum totius loci sententia constat, inter colon & conjunctionem discretivam quamvis ponit relativum qui; ut sic hæc sententia: Expeditius procedit ut quis sine vi nanciatum rei alienæ immobilis possessionem quam rei mobilis sine furto; ac proinde etiam facilis est ut res immobilis à bonæ fidei possessore usucapi queant. Quæ sententia quidem vera est; sed non ideo necesse est quicquam mutari. Nam & lectiois vulgatæ recta est & aperta sententia, atque effectu penè eadem, nimirum hæc: *Quod ad res immobilis atinet. Pro quo Tribonianus dixit, Expedit, jus ita procedere, ut si quis fundi aut loci alieni possessionem nactus sit sine vi, licet mala fide, de quo dubitari præcipue poterat: si eum locum aut fundum in alium bona fide accipientem transferre possit cum conditione usucapientis, in qua ipse propter malam fidem non erat: quoniam neque vi possessionem accipienti neque furivum, cum rerum immobilium furum fieri non intelligatur, l. 37. §. 1. & l. 38. hoc tit. unde hæc sumpta sunt. In re autem aliena mobilis secus esse, quæ à sciente vendita in vitium furti cadat. Quomobrem causam non video cur restituitio Cujacii quibusdam tantopere placeat. VINN. At quis vel barbaro ævo ita loquutus est: *Quod ad hæc rem expedit: pro atiner?* Recte itaque Cujacius vidit hic ellipitico esse: quod autem ad eas res que solo continentur, (scilicet atinet.) Recte etiam pro expedit jus, rescipit expeditius. Sed ego postremas syllabas, expedit jus, ex lege geminarum legendas puto: expeditius jus ita procedere: quod factio sine ulteriore emendatione totius loci sententia constat. HEIN.**

Vacantis propter absentiam aut negligentiam] Simplex absentia domini possessionem vacuum non facit: quippe quam constat solo animo retineri, l. 3. §. 1. l. 6. §. 1. de adq. poss.

§. 5. *Inst. infr. de interd.* Quapropter locus hic intelligendus est de absentia domini diuturna rem suam penitus negligentis & relinquentis incultam; & Gajus hoc expressit, *longo tempore*, d. l. 37. §. 1. Illi perspicue errant qui locum vacantem interpretantur à domino derelictum: quippe res pro derelicto habita statim fit occupantis, §. pen. *sup. de rer. div.* qui vero hic vacuus dicitur negatur etiam usucapi ab occupante posse, uti & in l. 38. *cod. Errat & Glossa* quod putat, quæ hic scripta sunt correctæ esse per l. ult. C. *unde vi*; & eoque nomine etiam vulgo reprehenditur. Non enim ideo quia Justinianus interdictum momentaneæ possessionis dedit adversus eum qui vacantem possessionem occupavit, statim pronuntiandum est eum in ceteris quoque omnibus pro invasore & violento possessore habendum esse; & potest aliquo casu etiam ubi competit interdictum unde vi locus esse usucapioni, l. 4. §. 22. l. 33. §. 2. *hoc tit.* Adde, quod constitutio ista diutius anno ante Institutiones edita fuit, ut ostendit subscriptio.

Sine successore decesserit] Ita etiam Gajus d. l. 37. §. 1. *cod.* Sine successore autem sic accipiemus, non tantum si quis decesserit sine ullo successore; sed etiam si certum successorem reliquerit, legitimam aut testamentariam heredem, quamdiu in rerum hereditarium possessionem nondum nactus sit. Et jacente quidem adhuc hereditate nec futurum rei hereditariæ fieri à Scævola productum est, l. 1. §. 15. *si in qui testam. lib.* Adici autem hereditate, etsi jura omnia ad heredem transcunt, possessio tamen ei non acquiritur nisi naturaliter apprehensa fuerit, l. 23. *de adq. poss.* Quamobrem etsi quis vacans fundi hereditarij possessionem sine vi occupavit, etiam ubi certus heres est, eumque bona fide accipienti tradidit, procedit bona fidei possessori usucapio: quia neque futurivum neque vi possessum accepit. Neque obsrat quod constitutum est, ceptam usucapionem à defuncto posse & ante aditam hereditatem impleri, l. 40. *hoc tit.* ut proinde non videatur posse rem interim ab alio possideri: quoniam duo eandem rem simul possidere nequeunt, l. 3. §. 5. *de adq. poss.* Hoc enim, ut alibi traditum est, tunc procedit quando medio tempore possessio ab alio occupata non est, l. 20. *hoc tit. l. 6. §. ult. pro emt.* Deinde de re loquimur quæ defuncti propria fuit, non quam ille possidebat tantum & ceperat usucapere.

Abolita est sententia existimantium] In hæc

opinionem etiam Massurium Sabinum fuisse statum Gell. *lib. 11. cap. ult.* non quod ille credidit fundum locumve auferri aut loco moveri posse; sed quia furtum à fraude dici putavit, vel, ut Varro quoque & Labeo, à furto quod clam & obscure & plerumque nocte fiat: æque autem clam & per fraudem posse intercipi possessionem fundi ac rei mobilis aut se moventis. Sed verius est furtum à ferendo seu auferendo dictum esse, aut potius à Græco *φύρα*, per affinitatem literarum, quod *μαγὰ τὴν φίγα*, Græci dixerunt, l. 1. *de furt. §. 2. Inst. infr. de obi. qua ex del.* Gell. *lib. 2. cap. 8.* quæ notatio non patitur ut rei immobilis furtum fieri dicamus. Quin nec illud verum est possessionem domino inverti si quis clam fundum ingressus fuerit, l. 6. §. 1. *de adq. poss.* furtum autem est intransversio possessionis. Quod si revertentem dominum non adquisierit jam vi intelligitur possidere, & d. loc.

Fundi locum] Auctores nostri plerumque fundum à loco separant, l. 63. *de exil.* Gajus l. 38. *hoc tit.* & hic Justinianus. Per fundum fere, integrum quid significant, agrum cum villa, ædificium cum area; per locum autem certam fundi portionem, l. 26. *de adq. poss.* & plerumque agrum aut aream, qui loci sine ædificio, in urbe area; ruri ager, ll. 27. 60. 115. & 211. *de verb. sign.* quamquam hæc non sunt perpetua, & loci significatio sæpe generalior quam fundi etiam apud nostros, l. 4. *si serv. vind. l. 1. §. 4. unde vi.* Consulendi Alciat. Forn. Goedd. in *tit. de verb. sign.*

Principalibus constitutionibus] Tum quibus possessores rerum soli longi temporis, id est, 10. vel 20. annorum possessione defenduntur, *tit. C. de præscr. long. temp.* quod tempus nunc ad rerum immobilium usucapionem translatum est; tum quibus 30. annorum præscriptione domini omnimodo excluduntur, ll. 3. & 4. *C. de præscr. 30. ann.* Illud hic monendi sumus, Justinian. *Nov. 119. cap. 7.* unde sumta est *auth. male fidei. C. de præscr. long. temp.* hæc tenus juris ejus de quo proxime agimus constitutioni derogasse, ut si à possessore male fidei res alienata sit, non aliter ab eo qui eam etiam bona fide accepit usucapi aut longa possessione 10. vel 20. annorum adquiri possit, quam si dominus sciverit rem suam ab alio possessam esse, & toto eo tempore constatus non sit; alioqui spectari jubet 30. annorum præscriptionem. Ceterum hoc procedere tunc tantum volunt, si eo ipso tem-

po-

DE USUCAPION. ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT.

pore quo res alteri traditur sciat is qui tradit rem alienam esse, & nec initium quoque bonum habuerit. Adde quæ notat D. Gothofred. ad d. *auth.*

TEXTUS.

De vitio purgato.

3. Aliquando etiam factio vel vi possessa res usucapi potest: veluti si in domini potestatem reversa fuerit; tunc enim vitio rei purgato procedit ejus usucapio.

COMMENTARIUS.

1. Si res pignori data surrepta sit, utriusque potestatem redire debeat ut vitium purgetur, dominus debitoris an creditoris.

Rerum futurivarum, vi possessarum, contra legem Juliani datarum vitium purgatur si in potestatem domini aut prioris possessoris redierit: ex quo fit ut jam iterum usucapi posse incipiant, l. 4. §. 6. l. 24. §. 1. *hoc tit. l. pen. de leg. Jul. rep.* Verbum potestatis in proposito possessionem significat & potestatem habendi tenendique, d. l. 4. §. 12. Res vi possessa redire debet in potestatem ejus qui dejectus est, ut maxime dominus non sit; neque enim aliter vitium violentiæ purgatur quam si dejectus ipse restituatur in possessionem, fac. l. 6. §. 3. *de præscr.* Res contra legem repetundarum data necesse est ut revertatur in potestatem ejus à quo profecta est hereditate ejus, d. *leg. pen. de leg. Jul. rep.* Rei autem furtivæ vitium ut purgetur in ipsius domini potestatem eam reverti oportet, d. l. 4. §. 6. quippe furtum in re furtivæ solum dominum lædit; cui proinde sollicitudinem de re furtivæ conditio competit, §. *ult. Inst. infr. de obi. qua ex del.* Plane nihil interest utrum in potestatem domini aut possessoris res pervenerit an quocumque modo *cod. l. 8. de furt.*

1. De re pignori data & surrepta creditori dubitari potest in domini debitoris an in creditoris potestatem redire debeat ut vitium purgetur & usucapi possit; nam Paulus respondet in domini potestatem eam redire debere, d. l. 4. §. 6. Labconis quoque eadem sententia est, l. *ult. cod.* Idem tamen Paulus d. *l. ult.* notat ad Labconem scribens contra affirmat, rem pignori datam & surreptam usucapi posse si in potestatem creditoris redierit. Sed hæc non magno negotio conciliari possunt. *Tom. I.*

Referet enim, utrum debitor ipse an alius rem creditori surripuerit. Posteriore casu semper necesse est ut vitium purgetur in potestatem debitoris rem reverti, d. l. 4. §. 6. æque hoc etiam Labeo sensit. Priore autem casu purgatur reversa in potestatem creditoris; neque hoc Labeo negaret, fuitque semper extra omnem controversiam, æque à Paulo tantum indicatur, ut ostendat posse aliquando pignus quod in potestatem creditoris rediit usucapi & quod Labeo non expresserat. Fuit autem, ut dixi, illud explorati juris; siquidem ratio aliqua esse debet purgandi vitii per reversionem rei in potestatem alterius quam furis. Eumvero hoc amplius usucapionem admittit Cassius, etiam si pignus à debitore surreptum & distractum in potestatem creditoris nondum pervenisset; eaque sententia etiam obtinuit, d. l. 4. §. 21. l. 5. *pro emt.* quamvis alius, nec dubito quin Labconi etiam & successoribus ejus displaceat, & absurdum visum sit ab eodem & fieri furtum & furtum emendari: quoniam sententia etiam expresse confirmari videtur l. 6. *C. pro emt.* Verum Cujac. in d. l. 4. §. 21. ita distinguit: aut debitor non tenente creditore pignus alii vendidit, & tunc ab emtore usucapi non potest, quia ipsa venditio furtum committit, nec post admissionem furtum vitium purgatur re in potestatem non redeunte, ac de hoc casu loqui putat d. l. 6. *C. pro emt.* aut tenenti creditori pignus auferre & deinde vendit, & tunc ab emtore usucapi posse existimat, quoniam postquam furtum factum est res in potestate debitoris fuit, æque hoc ostendit d. l. 4. §. 21. *hoc tit. & d. l. 5. pro emt.* Illud constat, tractari in hac questione de re aliena que à bonæ fidei possessore pignori obligata est ut sit locus usucapionis pro emtore, d. l. 5. *pro emt.* Quamvis enim res aliena pignori non sit, inter ipsos tamen qui contraxerunt rata est pignoris conventio, per l. 9. §. pen. l. 22. §. 2. *de pign. act.*

TEXTUS.

De re fiscali & bonis vacantibus.

4. Res fisci nostri usucapi non potest, sed Papinianus scripsit, bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, bonæ fidei emtorem traditum sibi rem ex his bonis usucapere posse, & ita Divus Pius & Divi Severus & Antoninus recipiant.

LL. 6. & 7. tit. 29. Part. 3. L. I. tit. 15. lib. 4. Recop.

oo

Com-

2 Hoc §. tolli videtur prescriptionem quadriennii quae olim bonorum vacantium possessori datur adversus fiscum.

Inter res quae juris constitutione usucapioni obnoxiae non sunt, quarum summam complexus sub §. 1. *sup. hoc tit.* primum locum obtinent res fisci, l. 18. l. 24. §. 1. ff. *hoc tit.* l. 2. C. *comm. de usuc.* Hoc autem privilegium rebus fiscalibus merito datum est, ne negligentia procuratoris fisci Principi noceat, qui aliis curis implicatur, qui tot ac tanta negotia sustinet ut de suis aut fisci rebus ipsi inquirendi otium non sit. Rerum patrimonialium eadem ratio est, quae ob id etiam cum fiscalibus comparatur, §. ult. *hoc eod. tit.* Nullane igitur temporis defensio possessorem adversus fiscum tueretur? De fundis patrimonialibus & rei privatae rescriptum est, possessores eorum in 40. annorum praescriptione defendi, l. ult. C. *de fund. patrim.* l. ult. C. *de fund. rei priv.* Tantum hoc cavetur, ut ne adversus fiscum ea praescriptione hoc assequantur ut in futurum à canone possessio sit immunis, l. 6. C. *d. tit.* Ceterum Justinianus l. 23. C. *de sacer. Eccl.* civitatibus hoc privilegium dedit ut adversus eas nulla procedat temporis praescriptio praeterquam 100. annorum: quo jure vel magis fiscus uti oportet. Idem jus eodem loco concedit etiam Ecclesiis: & confirmat Nov. 9. verum abrogat iterum Nov. 111. & Nov. 131. cap. 6. substituta pro 100. annorum 40. praescriptione: quibus posterioribus constitutionibus sublatae quoque intelligi debet jus civitatibus datum, l. 23. C. *de sacer. Eccl.* atque ita postremo in his rebus etiam ad praescriptionem 40. annorum. In causis fisci criminalibus, uti persecutio criminum regulariter exceptio 20. annorum excluditur, l. 12. C. *ad leg. Corn. de falsi.* ita etiam persecutio bonorum damnati aut adnotati quam fiscus habet; eoque refero l. 13. *de divers. temp. praec.* quamvis D. Cujac. eam accipiat de causis fisci civilibus, quas omnes scribit 20. annis extingui, excepta causa commissi & bonorum vacantium, l. 2. C. *de vell. & comm.* l. 1. §. 2. *de jur. fic.*

Boni vacantibus] Bona vacantia dicuntur eorum qui sine herede decesserunt. Strabo lib. 17. *Geograph.* ἀδικοτα (sine domino) vocat; Harmenopolus ἀλλοτρίωτα (sine herede) lib. 3. tit. 1. §. 18. Hac ex lege Julia cada-

caria ad fiscum pertinent, l. 96. §. 1. l. 114. §. 2. ff. *de legar.* l. 1. l. 1. *de jur. fic.* l. 1. C. *de quadr. praec.* l. 1. C. *de bon. vac. &c.* Jus occupandi bona vacantia inter regalia numeratur, lib. 2. *Fend. tit. quae sint regal.* Erant autem certi delatores qui hujusmodi bona alienae rem ad fiscum pertinentem praemii alicujus gratia nuntiabant, *tit. de jur. fic. passim*: similes fere antiquis quadruplatoribus, de qua voce vide Fest. Bonorum vacantium numero habenda etiam bona cadauca nondum nuntiata, ita dicta quod in fiscum certis de causis cadunt. Verum cadauca pene à Justiniano sublata sunt, *launic. C. de cad. toll.*

Fisco nondum nuntiatis] Nempe à delatoribus qui nuntiabant aliquid cecidisse in fiscum, passim *tit. de jur. fic. de quo ex professo Gudelin. lib. 5. de jur. noviss. cap. 10.*

1. *Usucapere posse*] Opus tamen ad introducendam usucapionem rerum vacantium fuisse rescriptis indicat hic locus & d. l. 18. *eod.* Quippe bona vacantia ad fiscum pertinent ipso jure, etsi in patrimonio non videntur computari antequam nuntiata sunt & fiscus ad ea animum adjevit. Videtur autem Justinianus hic tollere praescriptionem quadriennii quae bonorum vacantium possessori dabatur adversus fiscum post quadriennium agentem, l. 1. C. *de quadrien. praec.* l. 1. §. 2. ff. *de jur. fic.* l. 10. *de div. temp. praec.* Nam olim quidem hic sua utilitas & praescriptio quadriennii & usucapioni anni aut biennii adversus fiscum fuit: praescriptio in eo quod fisco ea obstatat sine consideratione bonae vel male fidei possessoris; quippe cum hoc tempus actioni fisci praestitutum esset, ut quinquennium vindicandae rei quae in commissum cecidisset, l. 2. *C. de vell. & comm.* usucapioni in eo quod breviori tempore implebatur. Si vero idem tempus in usucapione rerum immobilium vacantium adversus fiscum retineamus quod aliarum hujus generis rerum usucapioni Justinianus praestituit: poterit fiscus usque ad 10. annos questionem de his rebus movere, neque amplius finietur nuntiatio quadriennio. Et tamen vix dubium quo hoc iuris Justiniani fuerit; argumentoque est, quod Tribonianus in l. 18. *hoc tit.* pro eo quod Modestinus scripserat, *usucapierit, repositit, distincta possessione capiet*, uti prima notae Scriptores omnes profitentur. Hac vulgo inacta.

TEXTUS.

Regula generalis.

5. *Novissima sciendum est, rem talem esse*

DE USUCAPION. ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT.

291 debere ut in se non habeat vitium ut à bona fidei emtore usucapi possit, vel qui ex alia justa causa possidet.

COMMENTARIUS.

Conclusio superiorum. In summa autem hoc dicit, non sufficere possessori ad usucapionem quod bona fide possideat, quod rem ex justa causa seu titulo ad transferendum dominium idoneo acceperit, nisi res sit integra & in se nullum vitium habeat, id est, talis sit quae neque naturae neque lege usucapioni exempta est: fac. l. 24. ff. *hoc tit.* l. 5. C. *pro emt.* De possessione quae fundamentum est usucapionis causa proxima, deque ejus continuatione dicam ad §. 7. *infra.*

TEXTUS.

De errore falsae causae.

6. *Error autem falsa causa usucapionem non parit: veluti si quis, cum non emerit, emisse se existimans possideat, vel cum si donatum non fuerit quasi ex donato possideat.*

L. 14. tit. 29. Part. 3.

COMMENTARIUS.

Jam antè dictum est, nulla justa causa possessionis procedente usucapionem aut longi temporis praescriptionem non procedere, l. 24. C. *de rei vind.* l. 4. C. *de praec. long. temp.* l. 6. C. *de adq. poss.* Haec causae in usu juris etiam tituli appellantur, & sicut in usu juris etiam tituli appellantur, l. ult. C. *de usuc. pro her. d.* l. 24. C. *de rei vind.* d. l. 4. C. *de praec. long. temp.* Justae autem causae possessionis sunt eadem quae & domini acquirendi, l. 1. §. 21. *de adq. poss.* ubi pleraque hujus generis commemorantur. Error autem falsae causae, id est, opinio juri tituli usucapionem non parit, sed oportet titulum revera intervenire: si hoc est, non is qui putat se emisse, sibi donatum aut legatum esse cum non sit, pro emtore, pro donato aut legato usucapere potest; sed is solus qui vere emit, cui res vere donata aut legata est, l. 27. *hoc tit.* l. 1. *pro donat.* l. 2. *et* 3. *pro legat.* l. 6. *pro derel.* l. 1. §. ult. *pro dor.* quippe falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat, l. 6. *ad munic.* Quidam tamen Veterum censebant in falsa opinione tituli admittendam esse usucapionem pro suo; sed errare eos Celsus os-

tendit d. l. 27. Utitur autem hac ratione, quod ubi nihil emtum nihil donatum aut legatum est, usucapio pro emtore pro donato aut legato non valet. Quae ratio prima fronte inepta videri potest; nam illi, quos errare alii, non hoc dicunt, bonae fidei possessorem qui modo emtum donatum aut legatum sibi existimet etiamsi nihil horum sit, pro emtore prove donato aut legato usucapere posse; sed pro suo, quod ratio Celsi non videtur removere; quoniam & titulus pro suo justus titulus est. Explicanda igitur est Celsi ratio ut appareat ex ea etiam efficit ut in proposito nec locus sit usucapioni pro suo. Titulus pro suo duplex est, usus specialis qui ex sola possessione rei possesse nascitur, & locum habet in his quae sola usucapione nostra fiunt, ex quo titulo certa usucapio, l. 2. *pro suo*; alter generalis, coherens cum aliis omnibus causis; ut ecce, qui bona fide pro emtore pro donato prove legato possidet, is simul ex his causis etiam possidet pro suo; sed hic titulus generalis pro suo, pro justo titulo possessionis non habetur nisi concurrat alius specialis cui ille adhaerens, l. 1. *pro suo.* Jam puto intelligitur quam vim ratio Celsi habeat, nimirum remoto alio titulo speciali, quem in proposito nullum esse in confesso est, admitti non posse generalem illum pro suo. Ceterum hoc totum sic acceptum est, ut justus & probabilis error possessoris usucapioni non obstat; veluti si servus aut procurator rem aliquam se emisse falso domino persuaserint, quam emendam illi mandaverat: in hoc errore possessor pro emtore usucapierit, quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est, l. 11. *pro emt. l. ult. §. 1. pro suo.* Postest & in nostro ipsum factio talis error intervenire ut usucapio non impediatur, l. 2. §. 15. *et* §. seq. *pro emt.*

TEXTUS.

De accessione possessionis.

7. *Distincta possessio quae prodicit caperat defuncto, & heredi & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat pradium alienum esse. Quod si ille initium justum non habuit, heredi & bonorum possessori licet ignoranti possessio non prodicit. Quod nostra constitutio similiter & in usucapionibus observari constituit ut tempore continuetur.*

L. 16. tit. 29. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Quid in hoc argumento sit possidere.
2. Possessionem legitimi temporis ad usucapionem definiti continuam requiri.
3. Interrumpi possessionem duobus modis, & quae utriusque effectus.
4. Ad implendam usucapionem etiam aliena possessionis accessione juri licere.
5. Justam possessionem defuncti prodesse heredi etiam scienti rem alienam esse & injustam defuncti non prodesse licet ignoranti; & quam rationem utrumque habeat.
6. Cujac. Wesemb. Hotomanius consultantur; & quis sit sensus verborum in calce hujus §. ostenditur.

1. IN primis eum quem usucapere volumus possidere oportet; sine possessione aut Jurisconsultus usucapio contingere non potest, l. 2. §. hoc tit. Possidere in hoc argumento est solus intelligitur qui animo dominantis rem tenet. Quamobrem hinc remouetur primum qui alieno nomine in possessione sunt, ut fructuarii, creditor, colonus, in cuius res commodata aut apud quem deposita est, l. 33. §. 4. hoc tit. l. pen. §. 2. qui satisd. cog. §. 4. Inst. inf. per quas peri. §. 5. Inst. inf. de interd. deinde etiam sequester apud quem possessio deposita est: item is cui possessio tradita est ut eam postea restituit; etsi enim hi vere possident; l. 17. §. 2. depos. l. 17. in fin. de adq. poss. tamen quoad effectum usucapionis pro possessoribus haberi non possunt, quia rem non ut suam, non animo domini tenent.

2. Possidere autem oportet totum illud tempus quod lege definitum est, rem mobilem triennium, immobilem decem aut viginti annos; & possidere continenter sine possessionis interruptione. Hinc recte usucapio a Modestino definitur, adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti, l. 3. hoc tit. In computatione temporis hoc observatur, ut non a momento ad momentum computetur, sed dies postremus coepit pro impleto habeatur, l. 6. eod.

3. Interrumpitur possessio duobus modis: uno naturaliter, veluti cum quis vi de possessione dejicitur aut res nobis eripitur, l. 5. hoc tit. l. 15. de adq. poss. altero civiliter per litis contestationem. Hoc modo civiliter interrumpi possessionem dicimus, quia post litis contestationem vere & naturaliter possidere non

desinimus & implemus usucapionem, l. 2. pro donat. l. 2. §. ult. pro emt. sed impleta inter moras iudicii usucapio effecta juris victo possessori non prodest, sed rem restituere cogitur perinde quasi non usucepisset, l. 18. de rei vind. Naturalis interruptio hanc vim fuisse constat, ut etsi quis amissam suam possessionem deinde recuperasset, si prius possessionis tempora ad usucapionem aut praescriptionem non prodesse, ut ad recuperata possessione tempus denuo inchoaretur; & proinde etiam quod ad bonam fidem possidentis attinet initium possessionis recuperatae spectatum fuisse, l. 15. §. 2. hoc tit. l. 7. §. 4. pro emt. neque ex hoc jure quidquam mutatum. Litis autem contestatione usucapio non interpellatur; sed, ut dixi, condemnatio possessore erat inefficax, lite onisita erat efficax. At longi temporis praescriptio, quod facti esset, etiam plene interromperetur lite, ut nec lite omnia ullius momenti esset, etiam si poste ommissam litem ex integro si cum quo actum erat longo tempore possedisset, l. 2. §. 10. C. de long. temp. praesc. l. 10. de adq. poss. Sed haec differentia sublata est per l. pen. & ult. C. de annal. except. l. un. C. de usuc. transf. An ergo & mala fides simpliciter incidens quae usucapionem nequam interpellabat, l. 48. §. 1. de adq. rer. dom. interpellabit praescriptionem longi temporis? Id quidem affirmat Cujacius in d. l. 2. §. ult. pro emt. Verum hoc nusquam scriptum est; nec eadem effecta quae litis contestationi tributa sunt fuisse scientiae rei alienae simpliciter incidens, argumento est tum vetus usucapio, tum etiam Justiniana, quae non interrumpitur ex posteriore alienae rei scientia, d. l. un. C. de usuc. transf. plenissime tamen interrumpitur litis contestatione, atque adeo libelli oblatione, ut expresse constitutum est, l. pen. & ult. C. de annal. except. Atque haecenus igitur minus est in nova usucapione quam in veteri fuit, quod nova istis modis bene interpellatur.

4. Continuationem possessionis dum exigimus, non hoc praecise exigimus ut una eademque persona per totum legitimum tempus continenter possideat; sed receptum est ut ad usucapionem & longi temporis praescriptionem implendam aliena possessionis accessione uti liceat. Atque hoc tributum est licet dissimiliter; de quo statim, tam successorii rerum singularium, puta entori, donatori, quam successorii universi juris, ut heredi aut bonorum possessori; hoc text. & §. seq. l. 14. eod.

DE USUCAPIONE ET LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIO.

eod. l. 2. §. 19. & seq. pro emt. l. 13. §. 1. & seqq. de adq. poss. l. 14. de div. temp. praescr.

5. Licet ipse sciat praedium alienum esse. Quod si ille initium justum non habuit] Haec non ad quemvis successorem sed ad successorem universi juris; heredi aut bonorum possessorum tantum pertinent. Duo autem hic traduntur: unum est, justam possessionem defuncti prodesse heredi, & procedere etiam si heres sciat rem alienam esse, quod & traditur l. 43. hoc tit. l. 2. §. 19. pro emt. alterum, injustam possessionem defuncti heredi non procedere licet ignoret rem alienam esse: fac l. 11. ff. de div. temp. praescr. l. 11. C. de adq. poss. Utrumque eandem rationem habet, quia scilicet heres personam & conditionem defuncti suscipit; igitur ut una persona cum defuncto censetur. Hoc enim positio qualitas possessionis ex persona defuncti tantum asistanda, ut illa vel prosit heredi vel noceat: prosi si defunctus bonum initium habuerit etsi heres non habeat; noceat, si defunctus bonum initium non habuerit etiam heres habeat; & perinde per omnia habeatur ac si defunctus adhuc ipse possideret. Succedit itaque heres non tantum in virtutem defuncti sed etiam in vitia, nec ignorantia sua ea excludit, ut ait Papinianus d. l. 11. de div. temp. praescr. & Imp. d. l. 11. C. de adq. poss. Vitia possessionum, inquit, à majoribus contracta perdurant, & successorum auctoritas sui culpa comitatur. Ex quo hoc amplius etiam intelligimus, errare eos qui heredem nolentem uti accessione possessionis defuncti, à semetipso inchoare possessionem atque usucapionem praescriptionemve statuto tempore implere posse arbitrantur; quod ius tantum singularis est successoris; ut postea demonstrabitur. Nihil vero eorum opinionem iuvat l. pen. pro hered. neque enim negamus posse aliquando heredem usucapere quod defunctus non potuit; sed dicimus non posse quod defunctus vitiose possedit. Ut ecce, potest heres ex sententia plerumque Veterum usucapere rem quam putat hereditariam esse, cum non sit, sed defuncto commodata aut pignoratuta aut apud eum deposita: quomodo explicanda est d. l. pen. Nimirum quia nihil ex persona defuncti hic obstat heredi quominus ipse eam rem pro herede usucapere possit quamquam sunt, inter quos etiam Bachovius, qui nec hoc casu usucapionem pro herede admittunt, per l. 2. & ult. C. pro her. l. 4. C. de praescr. long. temp. Sed hos si se-

quimur delendi erunt tunc de usuc. pro heredes possuntque ad ill. 2. & ult. commode accipi de iis qui falso existimant se heredes esse; & d. l. ult. cum d. l. 4. etiam de vero herede, sed qui rem ex titulo ad usucapionem inhabili tenens possessionis causam sibi mutare conatur, eamque rem obtinet, quasi hereditaria esset, pro herede usucapere; cuiusmodi species proponitur d. l. 2. §. 1. pro herede. Vinn. Titulus pro herede qualis sit apparet ex Pomponii verbis l. pen. ff. pro her. Plerique putaverunt, si heres sicut & putem rem aliquam ex hereditate esse, quae non sit, posse me usucapere. Ponendus itaque casus quo heres sine mala fide vel sua vel defuncti rem alienam possidet. Tale exemplum est Pagenstecheri in admonitor. ad Pand. part. 6. §. 160. si ovis Titii immiscuerit se Mavii defuncti gregi inscio Mavio. Hein.

6. Quod nostra constitutio similiter & in usucapionibus] Hunc versum transposuit Wesembecius secutus auctoritatem Cujacii, qui putavit eum non suo loco positum & rependum post §. seq. propterea quod Justinianus constitutione sua l. un. C. de usuc. transf. nihil novi caverit de continuatione possessionis defuncti & heredis, sed quod ex rescripto Severi & Antonini tantum obtinebat in praescriptione longi temporis, id est, ut inter eorum & venditorem tempora conjungerentur, traxisse ad usucapionem, in qua olim successor singularis propter brevitetem temporis accessione possessionis auctoris sui non utebatur, per l. 32. §. 1. de rer. praed. urb. In quo vix est ut Cujacio assentiri possim. Nam in l. 14. hoc tit. expresse etiam entori & legatario prodesse dicitur tempus quo venditor & testator possederunt: prodesse scilicet etiam ad usucapionem de qua ex professo isto titulo agitur. Similiter Ulp. in l. 13. §. 1. & seqq. de adq. poss. latissime disputans de accessione temporis quae posteriori possessor utitur ex persona auctoris sui, in tota illa disputatione nullius differentiae meminit quae hac in parte sit inter usucapionem & longi temporis praescriptionem. Quin etiam disertissimis verbis scriptum à Paulo est, etentori tempus venditoris ad usucapionem procedere, l. 2. §. pen. pro emt. Hoc amplius Scevola etiam, entorem servi uti accessione venditoris, l. 14. §. 2. de div. temp. praescr. Atqui constat res mobiles anno ubique usucaptas fuisse. Nec absurdum est in ea temporis brevitate pari spatio duorum conjuncta possessione rem adquiri quo unius; immo in duorum pos-

8. *Inter venditorem quoque & emptorem conjungi tempora Divi Severi & Antonini rescripserunt.*

L. 16. tit. 29. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. *Quando successor singularis accessione possessionis auctoris sui uti possit.*

2. *Vitium auctoris successoris neque nocere neque prodesse.*

1. **DE** conjunctione temporum inter priorem possessorem & universi juris successorem dictum §. *prae.* hic de eadem conjunctione agitur inter venditorem & emptorem, quod tamen jus ad ceteros quoque pertinet qui alio titulo singulari etiam lucrativo rem acceperunt, puta ex causa donationis aut legati, l. 14. *pr.* & §. 1. *hoc tit.* l. 13. §. 10. & *seq. de adq. poss.* l. 5. l. 14. §. 2. *de div. temp. praeser.* Scripsum hic simpliciter est, inter venditorem quoque & emptorem tempora conjungi. An igitur eodem modo quod inter defunctum & heredem? Nequaquam; sed ita si uterque bona fide rem acceperit. Proinde si emptor justum possidenti initium non habuerit, etiamsi venditor habuerit non uteretur emptor accessione venditoris, contra quam existimat Hotomannus: nam traditum est, vitiosae possessioni nullam ne justam quidem posse accedere, d. l. 13. *infra.* quamquam diversum est in successione universi juris, de quo abunde §. *prae.* Ex contrario quoque vitiosa venditoris possessio non prodest justae possessioni emptoris; sed qui vult uti adminiculo ex persona auctoris, eo uti debet cum sua causa suisque vitii, d. l. 13. §. 1. *id est,* eadem conditione eodemque jure quo auctor uteretur. Denique hoc etiam traditum est, nec vitiosam possessionem accedere posse ita quae vitiosa non est, d. l. 13. *infra.* Plane non nocet successoris quod auctor ejus bono initio nixus rescivit rem alienam esse antequam eam alienaret: quia si non alienasset ipse eam usucapere potuisset.

2. Quid si successor accessione auctoris uti nolit sed suam tantum possessionem computare, an hic etiam vitium auctoris ultio nocet successoris? Placuit, quemadmodum vitium auctoris successoris non prodest si accessione uti velit; ita neque nocere si ac-

cessione uti nolet: denique, successorem per se usucapere posse quod auctor usucapere non potuit, d. l. 5. *de div. temp. praeser.* l. 4. §. 2. *ff. de dol. exc.* l. 4. C. *de rei vind.* quod tamen ex parte emendatum & temperatum est distinctione quae extat in *authent. mala fidei. C. de praeser. long. tempor.* In hoc autem dissimilis item causa heredis est, cui vitiosa defuncti possessio nocet etiam si adminiculo ex vitia quam in virtutes defuncti succedit, & eadem cum defuncto persona esse existimatur, l. 11. *de div. temp. praeser.* Vid. §. *prae.* Loquimur autem de vitio personae possessoris: nam quod vitium in re est, puta si res furtiva sit aut vi possessa, id generaliter successoribus omnibus nocet, §. 5. *supr. hoc tit.* l. 24. *ff. de usuc. l. 7. C. pro emt.* Illud addo, si medio tempore alius possederit interruptam esse possessionem continuationem; atque in ea re similes esse emptores universi juris successoribus, d. l. 13. §. 4. *de adq. posses.* l. 20. *hoc tit.*

DE USUCAPION. ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPT.

2. *Præscriptionem quadriennii fiscolem & veteri juri inagratam & Canonibus improbatam esse.*

Si post venditionem quinquennium] Mentio fit hujus edicti D. Marci l. *ut. C. si adv. fisco.* In hac autem præscriptione quinquennii nullam factam fuisse distinctionem inter bona aut mala fide quid à fisco accipientem, apparet ex eo quod aliqui melior conditio fuisse ejus qui à privato emisit quam qui à fisco: siquidem is qui à privato bona fide rem emerat summum biennio eam usucapiebat.

Constitutio Zenonis] Ea est l. 2. C. *de quadrienn. praeser.* Olim quinquennii præscriptione tuti erant qui quid alienum emerant à fisco. Hodie statim tuti sunt ex constitutione Zenonis, sive conveniantur sive ipsi amissa forte rei possessione ultro agant. Fisco autem alienanti rem alienam vel alii pigriori obligatam datur præscriptio quadriennii, si post quadriennium eo nomine conveniantur à domino aut creditore pigrioritate, d. l. 2. Quod ideo sic constitutum esse videtur ut tanto facilius emptorem fisco esse videtur ut tantum rescindatur venditio facta publica auctoritate; alioqui sane durum atque iniquum esse domino aut creditoris jus vindicandi aut persequendi rem suam aut sibi nexam statim auferre, iisque objicere tam potentem adversarium.

Sacratissimum ærarium] Hic diserte fisco appellatur ærarium Principis, uti & in l. 2. & 3. C. *de quadrienn. praeser.* neque causam habet Hotomannus cur eo nomine Tribonianum reprehendat; & falsum est quod scribit, ærarium esse rerum Principis privatarum, quibus scilicet ipsius patrimonium constet; fisco vero ceterarum patrimonium constet; sicut largitiones & sacri thesauri passim appellantur: eamque differentiam in d. l. 2. accurate observatam. Scimus, locum ubi pecunia publica reponebatur Romanis ærarium appellatum, eumque locum fuisse in æde Saturni, quo etiam Senatuseconsulta deferbantur: testes passim Livius alique scriptores. Ipsam quoque pecuniam publicam ærarium dictam *κατά μέτρον* (per mensuram). Cic. 3. *Tusc.* c. 20. Et quidem C. Gracchus cum largitiones maximas fecisset & effudit ærarium, verbis tamen defendebat ærarium. Idem ad *Attic. lib.* 6. ep. 1. *Ariobarcanes nullam ærarium nullum vestigium habebat.*

TEXTUS.
De his qui à fisco aut Imp. Augustæve domo aliquid acceperunt.

9. *Edicto Divi Marci cavetur, cum qui à fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit posse dominum rei exceptione repellere. Constitutio autem divæ memorie Zenonis bene prospexit iis qui à fisco per venditionem aut donationem vel alium titulum accipiunt aliquid: ut ipsi quidem securi statim fiant, & vitiores existant sive experiantur sive conveniantur. Adversus autem sacratissimum ærarium usque ad quadriennium liceat iis intendere, qui pro dominio vel hypotheca earum rerum quæ alienate sunt putaverint sibi quamdam competere actionem. Nostra autem divina constitutio quam nuper promulgavimus, etiam de iis qui à nostra vel venerabili Augustæ domo aliquid acceperunt, hac statuit quæ in fiscalibus alienationibus præfata Zenoniana constitutio continetur.*

L. 20. tit. 19. lib. 8. Ordinum.
Complut.

COMMENTARIUS.

1. *Ærarium etiam post occupatam Rempub. diu dictum pecuniam publicam sive Imperii; fisco pecuniam Principis privatam; postea utrumque verbum promiscue usurpatum.*

1. Illud quoque constat, post occupatam Rempub. ærarium adhuc diu dictum fuisse pecuniam publicam sive Imperii, & à fisco

co separatum; fiscum enim dixerunt pecuniam Imp. propriam ac privatam, cujusmodi erant bona damnatorum, caduca, vacantia, aliaque *diversa* quae Principi deferebantur. Plinius in *Panegy. Trajano dicit. At fortasse non eadem severitate fiscum qua avarium cohibes? Immo tanto majore quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis; & paulo post: Quae praecipua tua gloria est sapius vincitur fiscus, cuius mala causa est nunquam nisi sub bono Principe.* Ulpianus in *l. 2. §. 4. ne quid in loc. publ. Rei.* inquit, *fiscales quasi propriae & privatae Principis sunt.* Hinc ratio fisci, idem quod ratio Principis & ratio privata, *l. pen. C. de edend. l. 2. C. de priv. sic.* Procedente tempore distinctio illa avari & fisci evanuit, ac utraque voce promiscue usi sunt, unaque tantum sub Graecis Principibus distinctio usurpata, & fisci & bonorum Principis patrimonialium: quod hic locus aperte ostendit, & unde desumptus est, *ex hult. C. de quadr. prescr.* Id autem inter res fiscales & patrimoniales intererat, quod etsi utraque Principis erant, ille essent Principis qua talis, & ideo publicae; haec propriae Zenonis, Justiniani, & ideo privatae; unde & Comes rerum privatarum dicti quibus harum rerum cura demandata, *tit. C. de off. Com. rer. priv.* qui antea procuratores patrimonii appellabantur, *l. 39. §. ult. de legat. 1.* Plane vocabulo avari aliquando latius usi sunt, ut eo etiam significarent res Principis privatae: veluti cum in *l. un. C. de quest. & magistr. offic.* comitia utriusque avari dicitur, id est sacri sive fisci, & privati. Qui fisca-

li praerant in specie Comes sacrarum largitionum & thesaurorum appellari videtur, *l. 3. C. ubi senat. vel clariss. l. 2. C. ut dign. ord. serv.*

Nostra autem divina constitutio] Intelligit *l. ult. C. de quadr. prescr.* qua quod Zeno fisco statuerat produci ad substantiam Principis privatam, ut scilicet etiam rerum patrimonialium emor statim securus sit, & domus quadriennii praescriptione excludatur; aeternae hanc constitutionis suae rationem, quod cum omnia Principis esse intelligantur, sive res sint fiscales sive privatae Caesaris: nulla, quod attinet ad harum rerum alienationem, differentia introducenda sit. Explodendi autem sunt qui hinc colligunt omnia omnino, & bona etiam subditorum propria esse Principis. Eadem constitutione etiam Sereasimae Augustae idem privilegium conceditur.

2. Hoc jus atque haec praescriptio fisci Veteribus incognita fuit, ut liquet *ex l. 13. §. 9. de her. per. Jus Canonem iam improbat cap. xvi. quest. 3.* Vinn. De rebus ad Regis avarium spectantibus jus nostrum distinguit alias quae nullo tempore usucapi possunt, supremam nempe jurisdictionem, & jus exigendi vectigalia, praecipue illud vectigalium genus quod nos *alcabalar* nuncupamus, *ll. 1. & 2. tit. 15. lib. 4. Recop.* alias vero quae praescribi possunt, cujusmodi est jurisdictione non suprema, quae possessione 40. annorum cum titulo, & immemoriali etiam sine titulo adquiretur, *de l. 1. & Areyedo ad d. l. n. 3.* ADDIT.

TITULUS VII.

DE DONATIONIBUS.

Dig. lib. 39. tit. 5. & 6. Cod. lib. 8. tit. 54. Nov. 162. Et for. legg. lib. 3. tit. 12. Part. 5. tit. 4. Recop. lib. 5. tit. 10.

1. Absolutam inter vivos donationem ad acquisitionem juris gentium pertinere.
2. Sine donatio modum acquirendi, an titulus sine causa.
3. Series hujus tituli.

1. **U** Succapionem, de qua proxime egimus, esse modum acquirendi jure civili extra controversiam est; utrum autem donatio quoque eò pertineat ambigitur. Et quidem absolutam in-

ter vivos donationem quae traditione perficitur & potissima donationis species est, nemo, opinor, tam est excors qui juri civili adscribendam putet. Quid enim habet illa à jure civili quod ad formam ejus aut perfectionem pertineat? Quid tam naturale est quam hominem homini benefecere? Ad liberalitatem naturam propensi sumus, testibus Cic. in *Lel. & Sen. in lib. de benef.* Antiquitas nihil aliud existimavit esse Deum quam prodesse mortalibus: de quo Desiderius noster in *Chilad.*

DE DONATIONIBUS.

fiat. Adhuc nihil magis rationi naturali convenit quam voluntatem domini rem suam in alium transferentis ratam haberi, Demosth. *adv. Leptin.* ex causa liberalitatis id fiat an ex qua alia nihil refert, auctore ipso Justiniano *§. 40. sup. de rer. div.* ubi nominatim etiam donationem refert inter causas acquisitionis juris gentium. An vel apud Sinas aut Japonis credimus nullum esse exercitium liberalitatis, nullum donationis usum? At, inquit, lex Cincia supra modum donare prohibuit; & nunc donatio excedens summam 500. solidorum insinuanda est. Quid tum postea? Lex Fusia Caninia vetuit ultra praescriptum numerum manumittere, an ideo manumissio ex jure civili est? Quarundam rerum vetita est distractio, an ideo emtio venditio contractus juris gentium non est sed juris civilis? Plane cum necessitas insinuandi donationem quae excedit praescriptam summam à jure civili sit, concedo tantae quantitatibus donationem, utpote quae jam sola voluntate & traditione donantis non perficitur, posse referri inter modos acquirendi jure civili, arg. *l. 6. de jur. & jur.* ut tamen non meri juris civilis habeatur sed mixti, & maximam adhuc partem naturalis aliae autem omnes quae quantitatem legitimam non excedunt juris mere naturalis sive gentium manent. Quomodo ergo defendimus methodum Justiniani? Nimirum, si dicamus Justiniano principaliter propositum esse tractare de donationibus improprie mortis causa & propter nuptias quae ad jus civile non inepte referuntur, uti postea palam fiet. Hoc autem ipsa series tractationis ostendit, cujus initium à mortis causa donatione capitur; cum alioqui converso modo de donatione vera & absoluta primo loco agendum fuisset, uti factum est in *π. & Cod.*

2. Occurrit hic & aliud dubium, sine scilicet donatio modum acquirendi domini an solummodo titulus sive causa, ut emtio, dos, permutatio. Nam ratio ordinis exigit ut dicamus esse acquirendi modum; contra vero causam tantum acquirendi esse probat *§. 40. Inst. de rer. div.* Verum hoc non adeo difficile expeditur est. Etenim donationis verbum duobus modis accipitur: uno modo proprie pro ipsa datione, quando scilicet liberalitatis exercendae gratia aliquid alicui traditionem & actum in accipientem transferimus, ut simul & causam tradendi & traditionem ipsam includat; nam proprie donare nemo intelligitur nisi qui & tradat; unde donare & dare promiscue Jurisconsultus usurpat *l. 1.*

boc tit. & donatio dicta quasi doni datio, l. 35. §. 1. de mors. cau. don. unde & Papinianus l. 23. de donat. int. vir. & ux. donationem distinguit à stipulatione donationis causa facta: altero modo metonymice pro conventionem de dando, cum quibus donationis causa, aliquid promittit, *ll. 2. 12. & 22. cod. Priori sensu accepta donatio modus est acquirendi domini; posteriori non dominium sed obligationem parit, rationemque contractus & tituli habet, d. l. 22.* Plerique magno molimine magnas hic rugas agunt. Vinn. Aeneo an ipse auctor non confecerit. Ego ita sentio. Tribonianus hic secutus est proculdubio ordinem Gaji. Ejus autem tempore donatio omnino erat modus acquirendi dominium civilis. Nam tunc ex lege Cincia de donis & muneribus non valebat donatio nisi interveniret mancipatio sollemnis & traditio. Fr. Brunner. *ad l. Cinc. cap. 13. Conf. Novell. 162. cap. 1.* Postea Antoninus Pius nudam voluntatem sufficere voluit in donationibus inter parentes & liberos, *l. 3. Cod. Theod. de don. Idem de donationibus inter conjuges sanxit Antoninus Caracalla l. 32. §. 1. ff. de donat. int. vir. & ux.* Constantinus M. postea literarum fide donationis fieri posse concessit, modo postea sequeretur corporalis traditio, *l. 1. Cod. Theod. de don.* Remisere has scripturas Theodosius & Valentinianus AA. sed ita ut *alia idonea documenta* adhiberentur, *l. 29. C. de donat.* Denique Justinianus & nudam promissionem valere jussit, *ll. 35. & 37. C. de donat.* Ex brevi hac juris hujus historia patet, recte Gajum, aut quemcumque secutus est Tribonianus, donationem realitatis inter modos acquirendi, eosque civiles, ob necessariam in donatione mancipationem & traditionem. At minus recte Tribonianus putavit hunc ordinem servari posse, quia saltem quaedam donationis species, puta donatio mortis causa, huc referri possit. Conf. Averan. *interpret. lib. 1. cap. 29. Hein.*

3. Initio hujus tituli proponitur donationis divisio; deinde explicantur species, non omnes quidem sed tres tantummodo, hoc ordine. Primum agitur de donatione mortis causa; deinde de donatione simplici inter vivos; tum de donatione propter nuptias. Ad extremum subjicitur modus antiquis acquisitionis civilis ex causa lucrativa per jus accedendi.